



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

66. An executor testamenti bonorum Clericorum, vel Episcoporum possit  
adire pro confectione inventarij iudicem laicum? Sed ex doctrina huius  
Resolutionis deducitur, vtrum Clerici teneantur soluere ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

sed contentanea testatoris voluntati explicari, quod est Episcopo concessum in materia fauorabili, qualis est animae in qua plena fieri solet interpretatio, vt habetur in c. cum dilectus de donat.

6. Obiicies *secundò*. Vltima voluntas qualis est testatoris, posteriorem non admittit. Admitteret autem; si quae iste salutis suae gratiâ, relicta locis piis, vt pauperibus voluit, hæc alio conuertere, aut in opera ab his diuersa, quæ sunt à testatore imperata, Episcopo mutare fas esset.

7. Neganda est minor, nam cum id sit leganti propositum, animæ suæ eiusque salutis, per legata quæ pia dicimus, consilium ire, censetur tacite; sibi in eius procreatione Episcopum subrogare, eaque velle omnia, quæ ipse à diuina gloria, reque defuncti esse iudicauerit, ex quo consequitur quod cum eius, defunctique voluntas, pro vna eadēque habeatur moraliter, dici verissime, hanc posteriorem, effectum habere nullum.

8. Obiicies *Tertiò*, Seruari voluntas vltima debet, decreto Gregorij 13. q. 2. *can. voluntas vltima* 4. At est legatorum mutatio, eius conseruationi contraria: ergo, &c.

9. Neganda est minor, nec enim est alia legantis intentio, quam vt sibi animæque prodesse suæ possit per legatum, cui à pietate est initium, at hanc voluntatem non euerit Episcopus, quomodo legatum in opus melius, aut æque bonum commutat, vt patet, cum vtroque, id est, tam designato in testamentariis tabulis, quam eo in quod est mutatum ab Episcopo, iuuari eius saluus. Deique similiter cultus promoueri queat.

10. Deinde cum dicitur, voluntatem quæ est vltima, seruandam esse, intelligi id debet, tam de ea, quam præ se testator tulit, dum viueret, quam alia, quam si cogitasset, non respuisset.

11. Obiicitur *quartò*, Clem. V. auctoritas in *Clem. de relig. donib. c. quia contingit*, 2. vbi præcipit, vt ea quæ ad certum vsum, largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium, salua Sedis Apostolicæ auctoritate conuertit.

12. Respondendum ibi de Episcopo, eiusque iure in legatorum mutatione, cum causa subest, Clementem non loqui, sed de certo quodam hominum genere, qui bona ad subsidium relicta pauperum, sibi aut per se, contra ius, falsæ vendicabant, aut de iis leprolos aleo, quorum causa data erant Hospitalibus, contra rationem, mentemque testatorum, ac Dei, inhumani remebant, cum quæ ad certum vsum sunt largitione fidelium destinata, hæc aliò traduci aqritas, ratioque non sinant, Hæcque Baunius.

13. Non est tamen negandum negatiuam sententiam esse probabiliorem, & tutiorem, quam præter alios nouissimè firmat, & sustinet Carius *de exec. test. lib. 3. c. 4. per totum*; cui adde omni no videndum Merollam *tom. 3. disp. 7. dub. 15. per totum*.

RESOL. LXVI.

An Executor testamenti bonorum Clericorum, vel Episcoporum possit adire pro confectione inuentarij ad iudicem laicum?

Sed ex doctrina huius Resolutionis deducitur, vt cum Clerici teneantur soluere collectam certam, & inuariabilem impostam à Rege per statutum super bona Laicorum priusquam ad ipsos Clericos peruenissent, quam solebant soluere saculares, quorum ante a fuerunt ea bona? Et aliqua alia valde notanda explanantur pro bonis patrimonialibus & exemptionibus Ecclesiasticis. Ex p. 8. tr. 5. Ref. 64.

Hanc Questionem pertractat Solidè, & fusè, P. Fagund. de Con. l. 6. c. 4. n. 14. vbi loquens Tom. VI.

de obligationibus executorum testamentorum, sic ait: Vidi sæpè dubitari ad quem iudicem pertineat in Lusitania facere inuentarium bonorum Clericorum, & Episcoporum defunctorum in hoc Regno Lusitaniæ, ad Ecclesiasticum-ne, an ad sacularem? & de hac re partita est opinio.

2. *Prima* docet in hoc Regno de iure ad iudices seculares pertinere: pro hac repugnat acerrimè Cabedo *1. p. dec. 84. Fundamenta* illius hæc sunt.

*Primò*, quia ita obtinuit antiquissima veterrimæque consuetudo Regni Lusitaniæ, & hanc consuetudinem confirmat ille nonnullis exemplis: nam in primis inuentarium bonorum Episcopi Promontorij Arstuarij (*Cabuerde* vocant Lusitani) anno Domini 1587. à ministris Regiæ Maiestatis secularibus conditum fuit. Inuentarium similiter bonorum Episcopi Lamecensis Domini Antonij Tellez de Meneses ab iisdem Ministris secularibus Regiæ Maiestatis factum fuit anno 1598. In quibus cum dubium esset inter vtrosque ministros seculares, & Ecclesiasticos, adiudicata fuit causa in senatu saculari supremo Olyssipponensi pro Ministris secularibus. Tertium exemplum & antiquius apponunt testamenti Archiepiscopi Olyssipponensis DD. Georgij de Almeyda, quod similiter per ministros seculares ceceptum, & perfectum fuit; & quod semel aut bis factum est, consuetum est.

3. Probat *Secundò*, quia ad Reges, & Ministros regios spectat defendere bona vassallorum suorum, qui ex hac vita discedunt, à furtis, latrocinijque, & quia Episcopi & Prælati sunt vassalli Regum, licet non sint subditi, & illis mortuis plurima contingunt furta, & latrocinia in illorum bonis, vt experientia compertum est, & ideo illa hæc via defendunt, & furtis Episcopis cõseruant, ad quos in hoc Regno Portugalliæ spectant.

4. *Tertiò*, quia Reges Lusitaniæ eligunt Prælatos in toto suo Regno, & summo Pontifici offerunt, illosque summi Pontifices confirmant; quare sub regia protectione sunt omnes Ecclesiæ viduatae Pastoribus. *Regum. c. Princip. c. administrat. 23. q. 5.* quas non bene profectò protegerent, ac defenderent, nec regio officio satisfacerent, conscientijque suis, nisi bona prædictarum Ecclesiarum defenderent, dùm Pastoribus carent.

5. *Quartò*, quia solent Reges Lusitaniæ extrudere commissiones & rescripta particularia, vt iudices politici, ac seculares cognoscant de debitis salariis, quæ Prælati dum viuebant, non soluerunt seruis, ac famulis suis, quare sicut ad iudices seculares pertinet arbitrari huiusmodi salaria his famulis, ita ad eos spectat conseruare, inuentariumque facere de iis bonis, ex quibus ea deducenda sunt.

6. *Secundà* nihilominus sententia, quæ docet confectionem prædictorum inuentariorum pertinere ad solos iudices Ecclesiasticos priuatiuè est probabilior, & iuri, & rationi conformior, quod ex rigorosis principijs iuris, & neruosis argumentis in hunc modum probò.

7. *Primò*, quia bona non solum Ecclesiarum, sed etiam patrimonialia Prælatorum, & Clericorum sunt exempta à iurisdictione saculari, sicut & personæ, vt & in aliis est euident in iure Canonico *c. quanquam. de censibus. & ibi gloss. l. placet. c. de Sacros. Ecclesiis.* vbi Doctores Festus in *tra. de collect. 4. p. n. 176.* vbi latè, & doctè hanc materiam disputat, & aded sunt exempta, vt nec tallijs, nec collectis, nec vllis oneribus, aut tributis sint obnoxia, quæ Reges, ac Principes imponunt suorum vassallorum bonis, quare cum omnino sunt exempta à iurisdictione saculari, non pertinet ad iudices seculares ea defendere, in inuentario ponere, aut conseruare futuris Episcopis, cum nullam iurisdictionem in illis habeant, sicut non habens in personis Ecclesiasticis.

8. Deinde, quia bona sequuntur qualitatem perso-

cursum in alio vers. eius not.

Sup. hoc in ref. not. seq. & in aliis eius secundæ not.

na; quare si Rex imponeret certum tributū bonis mobilibus, vel immobilibus vassallorum suorum, vbi primum pater dotaret filium suum Clericum certo aliquo prædico pro patrimonio ad suscipiendos Sacros Ordines, statim ea bona dotata filio exempta ab eo tributo manerent, vt docet Menchaca de successione creata l. 1. §. 10. n. 635. Batt. in l. placei. C. de Sacrosanctis Ecclesiis. Ioan. de Amicis consil. 46. Ric. in praxi, decis. 267. Gironda de priuilegiis, q. 76. n. 373. vbi docet, bona Clericorum etiam patrimonialia, tam acquisita, quam de proximo acquirenda, gaudere priuilegiis Clericorum, tam quoad exemptionem, quam quoad priuilegium forisidique probant ex multis, & multis iuribus, quæ allegant, quod manifestum iudicium facit, esse Clericorum bona omnino exempta à iurisdictione regia. Confirmatur quia de iure proprio non potest Rex confiscare bona patrimonialia Clericorum delinquentium, nec de illis facere inuentarium ad illa conseruanda, id enim omnino pertinet ad iudices Ecclesiasticos eo quod Republica Ecclesiastica tam distincta sit à Republica seculari quam distinctum est caelum à terra; quod adeo verum est vt non possint Ecclesiastici, etiam si velint, sponte se submittere iurisdictioni seculari, quoad bona sua, etiam patrimonialia; nam quamuis hoc cogitandum relinquat Azuedo recop. lib. 4. tit. 1. l. 11. n. 16. tamen absolute, & sine vlla hesitatione dicendum est, non posse, quia bona patrimonialia Clericorum gaudent priuilegio exemptionis vt probat Barbosa in collectan. tom. 1. lib. 3. tit. 49. capit. 4. numer. 3. Layman in Theologia moralis lib. 4. tractat. 9. capit. 6. numer. 9. Antoninus Diana in tractat. de Parlamento 1. p. resol. 22. §. 3. part. resol. 29. Nam Clerici non possunt priuilegio exemptionis renuntiare: ergo nec se submittere iurisdictioni regali, quia id nihil aliud est, quam prædicto priuilegio renuntiare.

Sup. hoc in tom. 9. tr. 2. Ref. 70.

Ref. 1. citata in hoc textu inuenitur in to. 7. tr. 6. Ref. 33. Secunda vero in to. 9. tr. 2. Ref. 70.

9. Deinde, quia si Rex certum aliquod tributum imponeret super vsum fructum bonorum suorum vassallorum, & vnus ex illis vassallis laicus testamento suo Clerico relinqueret vsum fructum suorum bonorum, statim ac Clericus acceptauit, manet prædictus vsum fructus exemptus à regio tributo, vt ex doctrina Bartoli, & Baldi communiter recepta, quam tradunt in dicta l. placei. C. de sacrosanctis Ecclesiis.

10. Accedit, quia Doctores excitantes hanc questionem, vtum Clerici teneantur soluere collectam certam, & inuariabilem impostam à Rege per statutum super bona laicorum priuilegium ad ipsos Clericos peruenissent, quam solebant soluere seculares, quorum antea fuerant ea bona, communiter respondent, non teneri. Ita Carolus de Grassis de effectibus clericat. effect. 3. à n. 162. vsque ad 176. Ioannes Beltramus de Genuata in propugnac. libert. Eccles. assert. 1. §. 6. n. 27. Alterius tom. 1. disp. 19. lib. 5. cap. 2. fol. 270. vol. 2. Anton. Diana 3. part. resol. 17. Duardus in Bulla Cœna lib. 2. can. 18. q. 9. n. 1. Fillucius tom. 1. tract. 16. cap. 11. n. 298. Barbosa in collect. tom. 1. lib. 3. tit. 49. cap. 4. num. 4. Lessius tom. 1. de iust. lib. 2. c. 3. dub. 3. n. 19. Reginaldus tom. 1. lib. 9. cap. 15. n. 377. & patet ex verbis Bullæ Cœnæ ibi, Personis Ecclesiasticis, aut eorum, & Ecclesiarum, bonis, tributa, onera, ac padagia imponunt, quibus verbis bona omnia Clericorum, tam patrimonialia, quam Ecclesiarum, absolute eximuntur, nam cum textus Bullæ absolute, & generaliter loquatur; non debemus illum restringere, ac limitare; nam vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Patet etiam, quia etiam si illa collecta sit onus perpetuum, certum, & inuariabile impostum illis bonis, quando erant laicorum, & ad Clericos ea bona transeant affecta suis oneribus, & ex hac parte videantur Clerici, quia illa à secularibus eo onere affecta acceperunt, teneri soluere ea tributa, & onera, vt tenent Molfesius

Sup. hoc in tom. 9. tr. 2. ref. 258. & in alio §. cius not.

in sum. to. 2. tr. 22. c. 22. n. 160. §. 167. Layman in Theologia moralis, lib. 4. tract. 9. c. 6. n. 5. Soula in Bulla cœna Domini c. 19. disp. 2. n. 5. Tamen à principio quando illi tale onus impostum fuit, sub hac conditione fuit impostum, scilicet semper exemptione Ecclesiasticorum quæ conditio est intrinseca tali impositioni, & illi semper adnexa, & ideo cum ea impositio fuerit conditionata, non transeunt prædicta bona cum eo onere ad personas Ecclesiasticas.

11. Si tamen ea collecta, & onus rebus laicorum esset impostum, per contractum Principis, qualis censetur celebratus in bonis Regalibus, quando Principes sub certa pensione sibi soluenda, ea alicui vassallo donat; aut per contractum aliquem inquit inter duos vel plures contrahentes laicos: tunc quidem, si perueniant ad Ecclesiasticos, transeunt ad illos cum suo onere, & tenentur Ecclesiastici præfata onera soluere; quia non aliter, nec alio modo contraherent; Ita Ioan. Beltramus de Genuata allegatur. Cardinalis Albanus in tract. de immunitate Ecclesiastica, habetur tom. 3. tr. iuris part. 2.

12. Nec obstant fundamenta primæ opinionis. Ad primum etiam respondemus, quod nec vi, nec clam, nec precario, acquiritur possessio e, quia cognouimus 10. q. 3. c. cum venissent, de iust. c. cum tanto, de postul. pralat. verb. legitime præscripta, & exempla quæ allegant, quibus intendunt probare acquisitam iam habere possessionem in hoc negotio ministros laicos, fuerunt introducta resistentibus, & reclamantibus ministris Ecclesiasticis, per vim, & violentiam ministrorum laicorum cum Regia potentia.

13. Ad secundum dicimus ad Reges, & Principes seculares tanquam protectores Ecclesiarum viduarum, pertinere defensionem, & conseruationem bonorum Ecclesiasticorum in defectum superiorum Ecclesiasticorum, qui id efficiant, quod patet ex cap. Regum. & cap. Principes, & cap. Administratores 3. q. 5. velle autem iudices seculares substitutos à iure in defectum Ecclesiasticorum excludere prædictos iudices Ecclesiasticos, ad quos id primario, & per se spectat ratione exemptionis bonorum Ecclesiasticorum, & per se onerum, vis est, ac violentia, maxime contradicentibus, & repugnantibus iudicibus: ac superioribus Ecclesiasticis.

12. Ad tertium dico non ob stare quod iudices seculares id efficiant, vt prædicta bona Ecclesiastica defendant à publicis rapinis, & latrocinis, vt illa illata seruent, ac conseruent futuris Episcopis, ad quos in regno Lusitania spectant, quia id quidem locum haberet quando deficerent iudices, ac ministri Ecclesiastici, quod id possint efficere: cum verò illi non deficiant, non video rationem congruentem, ob quam ministri seculares se intromittant in alienam segetem.

15. Ad quartum respondetur, etiam ad iudices Ecclesiasticos primo, & per se pertinere arbitrium salarii obsequiorum, ac seruiturum, quæ Prælati Ecclesiasticis à suis famulis fuerunt impensa: ad seculares verò iudices secundario, & in illorum defectum: & ideo non ob stare rescripta, quæ allegant, quia ea extenduntur de facto ad vsurpandam iurisdictionem Ecclesiasticam, non de iure, vt ex dictis patet. Et hac omnia docet Fagundez loco citato, quæ hic per extensum transferre volui in defensionem Ecclesiasticæ immunitatis, & in defensionem eorum, quæ ego olim docui, nempe inuentarium Clerici, & Episcoporum, non posse fieri à iudice seculari: quod agere aliqui tulerunt, sed immerito, &c.

RESOL.